

ANDREAS SAMPERS

EPISCOPUS BLANCHET PETIT
REDEMPTORISTAS PRO MISSIONE IN OREGON, 1846

Postquam die 25 VII 1845 in Montreal episcopalem consecrationem acceperat, Franciscus Nicolaus Blanchet (1795-1883), Vicarius Apostolicus de Oregon, Europam petiit ad res missionis suae tractandas, praesertim ad suscitandos cooperatores sacerdotes et laicos operis sui apostolici (1).

In aestate an. sequentis 1846 Blanchet etiam Austriam visitavit et in Wien adiit Vicarium generalem Passerat, contendens ab eo ut aliquos subditos suos in Oregon mitteret (2).

P. Passerat, pro consuetudine sua succurrendi animabus derelictis, promptum se declaravit adiutorium ferendi quantum potuisset. Prius tamen necessariam iudicavit permissionem Patris Rectoris Maioris. Quo certius hanc permissionem acquireret, induxit Blanchet, ut ipse scriberet Patri Generali epistolam, in qua desiderium suum patefaceret (3).

+

J.M.J.

Vienne le 4 août 1846
Maison des RRPP. Liguoriens

Mon Très Révérend Père!

Le vaste pays que j'ai sous ma juridiction, et le nombre des tribus sauvages qui le peuplent, exigent la présence de plusieurs Congrégations (4). Les RRPP. ne suffisant pas, j'ai l'honneur de m'adresser à Vous, Mon Révérend Père, vous priant par les entrailles de la miséricorde de notre Dieu, de vouloir bien m'accorder cinq ou six membres de votre Congrégation pour emmener avec moi dans l'Orégon. Le départ devant avoir lieu au Havre en France au mois d'octobre.

Ils nous assisteront dans la conversion des Protestants, mais ils seront particulièrement pour les missions sauvages (5). Les Pères devront savoir

(1) Cfr L. W. REILLY, *Blanchet Fr. N.* : *The Catholic Encyclopedia* II [1907] 593-594.

(2) De petitione Episcopi Blanchet non fit mentio apud I. WUEST, *Annales CSSR Prov. Americanae* I, Ilchester 1888, 168-175 (an. 1846), qui tamen dicit illo anno fundationem in Oregon Vicario gen. oblatam esse; J. BYRNE, *The Redemptorist Centenaries*, Philadelphia Pa. 1932; E. HOSP, *Erbe des hl. Klemens*, Wien 1953, 295-300 (Erlösermissionäre nach Nordamerika).

(3) Blanchet ad Ripoli, Wien 4 VIII 1846. - Orig. : AG XLI B 11.

(4) « The territory assigned to the two priests [Fr. Blanchet and Mod. Demers, 1838] embraced about 375,000 square miles. It extended from California to Alaska and from the Rocky Mountains to the Pacific Ocean... The immense territory of the Oregon Mission was made an Apostolic vicariate 1 December, 1843; Father Blanchet was named its first vicar Apostolic ». - *Cath. Enc.* II 593^b.

(5) Quantum scimus, hic prima vice Redemptoristae petuntur explicitè pro conversione infidelium.

le français, parce qu'ils auront à prêcher en cette langue aux Canadiens français qui se trouvent partout dans le pays (6). Dans quelque endroit du pays les sauvages même ont commencé à apprendre cette langue.

Vos Pères auront près de 500 lieues (7) de long à desservir du Sud au Nord. Le pays est peuplé de belles nations sauvages. Les possessions russes d'Amérique (8) seront aussi de leur ressort. Veuillez bien avoir pitié de ces pauvres nations sauvages.

Mon adresse à Paris est rue de Vaugirard n° 71.

Veuillez bien m'honorer d'une réponse au plus tôt, et recevoir l'assurance de mon respect et de la vénération avec laquelle je suis

Très Révérend Père Recteur Majeur

votre très humble et très obéissant serviteur

+ F.N. Blanchet Ev. de Drasa
Vicaire Apost. de l'Orégon. (9)

VG Passerat misit has episcopi litteras in propria epistula inclusas ad Rectorem Maiorem (10).

Reverendissime Pater!

Hanc inclusam epistolam mittit Rev. Paternitati Vestrae Episcopus Oregonensis in America, qui tres hebdomadas inter nos Viennae commoratus est. Instantiis ejus mihi factis pro Missionariis nostrae Congregationis obtinendis nil habui, quod responderem, nisi quod ipsemet Paternitati V. R. mae scriberet; res enim a me nullo modo pendet, nisi quoad obedientiam! Adnotabo tamen, quod pro jussu Paternitatis V. R. mae renunciationem subito misi, et Episcopo Texansi et Patrono Coloniae (11); hinc de Missione ista quaestio

(6) Imprimis venatores et mercatores pellium ex Canada provenientes. - *Cath. Enc. XI* [1911] 290^b. Territorium Oregon ab an. 1776 a Magna Britannia vindicabatur, a Statibus Unitis ab an. 1805; tantum die 15 VI 1846 divisum est ad 49° parall. in Oregon, quod S.U. est incorporata, et British Columbia. - Cfr *Großer historischer Weltatlas III*, München 1957, 148-149; J. SRULZ, *Die Vereinigten Staaten von Amerika*, Freiburg/Brsg. 1934, 183.

(7) LIEUE. « Mesure itinéraire qui ne représente pas une longueur toujours la même... La lieue commune de France, ou lieue géographique, était de deux mille deux cent quatre-vingt-deux toises (4444 mètres et demi)... Lieue nouvelle, lieue de 4 kilomètres ». E. LITTRÉ, *Dictionnaire de langue française II* 1, Paris 1869, 305^e.

(8) Alaska et ora inter Alaska et Territorium Oregon (British Columbia). - Cfr *Großer hist. Weltatlas III* 148-149.

(9) *Notizie per l'anno MDCCCXLVI* [Cracas], Roma Maggio 1846, 200. - Mense tamen augusti, quando Blanchet epistolam suam scripsit, vicariatus non iam existebat; die 24 VII 1846 Vicariatus de Oregon constitutus est in Provinciam ecclesiasticam. Cfr *Annuario Pontificio per l'anno 1958*, Città del Vat. 1958, 384; G. CARRIÈRE, *Portland in Oregon: Enciclopedia Cattolica IX* [1952] 1784-1785 (erronee : 24 VII 1849).

(10) Passerat ad Ripoli, Wien 7 VIII 1846. - Orig.: AG Epistulae P. is Passerat.

(11) Die 12 XII 1845 VG Passerat ad RM Ripoli scripserat, Episcopum de Texas [Ioannes Maria Odin, cfr. *Notizie per l'anno MDCCCXLVI* p. 200] Patres petiisse pro Germanis, addens « hanc accepimus missionem » (Orig.: AG Epistulae P. is Passerat). Die 9 II 1846 RM Ripoli respondit VG Passerat rogans « ut missionem Texansem ad meliora differas tempora » (Minuta: AG XII B 20). Die 5 III [in originali erronee: 5 Febr.] Passerat nuntiavit Rectori Maiori: « Libenter vellem cessare Missioni Texansi, nisi res tantopere processisset » (Orig.: AG Epist. P. is Passerat). Ex responso diei 18 IV 1846 P. is Ripoli eruitur, eum de hac re non in omnibus consensisse cum Vicario gen. (Orig. et minuta: AG XII B 21); sed quomodo actio pro missione in Texas processerit et finierit, excedit limites hujus communicationis. - Facile est intellectu P. em Passerat acceptationem Missionis in Oregon beneplacito P. is Generalis reliquisse (« Res enim a me nullo modo pendet, nisi quoad obedientiam ». - in epistula supra exscripta).

est nulla hucusque. Nil superest mihi dicere, nisi quod inter nos non desint, qui parati sint, huic genti succurrere, tum ut silvestribus istis omnino derelictis, qui implorant togas, ut dicunt, nigras i.e. sacerdotes catholicos, subveniant, tum ut serviant Congregationi, quae obtineret pro libitu amplum Patrimonium in istis plagis, ubi possessiones primi sunt occupantis.

Nec noceret quoad solvenda debita in Statibus Americanis (12), nam impensa itineris in Oregonem haberet Episcopus ex thesauro Propagandae Lugdunensis, quae nihil impartitur Germanis, qui succurri et donari censentur a Leopoldina et Bavaria institutionibus (13); nec minueret Missionarios pro Statibus Americanis, nam in Oregonensi plaga, qui gallicam linguam calleant desiderantur. Si Paternitas V. R.ma consentiat, dignetur mihi mandatum dare, ut quosdam eligere possim ex aliis Provinciis, quin replicent forsitan Provinciales, et sic res moram patiatur. Episcopus enim Oregonensis proficiscetur mense Octobris, et secum Missionarios vellet accipere; propterea promptum postulo responsum a Reverentia Vestra!

Spero, fore ut brevi exhibere possim et notitiam certam de debitis in Statibus Americanis et de mediis illa delendi. Sollicitudinem quidem habemus, sed non anxietatem (14).

Offeruntur nostris duae foundationes: in Bavaria una (15), altera in Bussolengo prope Verona in Lombardia (16), quarum foundationum mittam instrumenta ad obtinendam auctoritatem a R.ma Paternitate Vestra. Domus Vetro-Öttingensis jam angustior est pro membrorum numero.

Dolentes absolvimus suffragia pro R.mo Panzuti (17). Vicarium suffragiorum beneficium humiliter postulamus pro R.P. Vincentio Hansalik (18) et Clerico professo Josepho Kleen (19) Wittemii defuncto.

(12) In epistulis in nota praec. allegatis pluries sermo est de magnis debitis in America contractis, quae ad 700.000 francos censentur (Ripoli ad Passerat, Pagani 12 V 1846. - Orig. et minuta: AG XII B 22). - In epistula diei 25 V 1846 Rector Maior communicat Vicario generali, se promptum esse ipsius renuntiationem accipere, sicuti postulavit in epistula diei 27 IV (haec epistula in AG desideratur), dummodo primo solvat debita Missionis Americanae (Orig. et minuta: AG XII B 23). - Die 21 I 1847 P. Passerat P.i Ripoli nuntiavit summam debitorum, secundum computum sibi a P.e Czackert missum, non excedere § 76000 (Orig.: AG Epist. P.is Passerat).

(13) Leopoldinen-Verein in Wien et Ludwig-Missionsverein in München, quae pluries etiam Missioni Americanae CSSR subventiones concesserunt.

(14) Alludit ad magnam sollicitudinem de hac re, a RM Ripoli pluries expositam. - Cfr. nota 12.

(15) VILSBURG. - Cfr HOSP, *Erbe* 322; *Spicilegium hist.* 4 (1956) 198; *Catalogus CSSR concinn. et publ. exeunte an. 1910*, Roma 1910, 99; etiam Stark ad Sabelli, Wien 5 X 1846. - Orig.: AG XII C 63.

(16) BUSSOLENGO. - De fundatione in Bussolengo an. 1846 nihil nobis notum est. Fundatio tamen perfecta est an. 1854, cfr *Spicilegium hist.* 4 (1956) 84.

(17) PANZUTI Blasius; cfr *Spicilegium hist.* 2 (1954) 264 n. 123.

(18) HANSALIK Vincentius; *4 VII 1820 Iglau, Moravia, dioec. Brno; *ingress.* 22 I 1842 Wien, *vest.* 18 III 1842 Eggenburg, *prof.* 2 VI 1843 Mautern, *presb.* 27 VII 1845 Graz; † 28 VI 1846 Mautern (Cat. XI 2), Wien (Cat. XI 1), † VII 1846 Wien (Cat. IV). - Cfr. Cat. IV 44^v; Cat. XI, 1, 21; Cat. XI 2, 4; Cat. XIII 50 n. 365. - C. MADER, *Die Congregation des Allerh. Erlösers in Oesterreich*, Wien 1887, 363.

(19) CLEEN Reynerus (Regnerus, Renerius, Renatus, non Iosephus uti in epistula); *31 III 1823 Fléron, Belgium, dioec. Liège; studia humaniora peregit in Rolduc, seminario dioec. Liège; *vest.* 15 X 1844 St.-Trond, *prof.* 15 X 1845 St.-Trond; ad studia superiora perficienda venit in Wittem 16 (18?) X 1845, † 19 VI 1846 Wittem. - Cfr *Necrologium Wittemiense* 6-8 (Ms in arch. domus Wittem; secundum notitiam P.is Chr Oomen, mihi die

Humillime manum deosculans, petensque paternam benedictionem maneo

Paternitatis Vestrae Reverendissimae
obsequiosissimus et obedientissimus servus et filius

Jos. Passerat C.SS.R.

Viennae die 7/8 1846

Petitionem Blanchet in Consultationibus generalibus tractatam non invenimus (20), sed exstat responsum sat positivum, quod RM Ripoli die 1 sept. episcopo dedit (21):

A Sa Grandeur Monseigneur Blanchet,
Evêque d'Orégon en Amérique, 1 Septembre 1846

Monseigneur,

Le contenu de la lettre dont Votre Grandeur a bien voulu m'honorer sous la date du 4 du mois passé, me serait très agréable, si j'étais en état de le mettre en exécution. Il est vrai que le but principal de notre Congrégation est de nous sacrifier aux Missions (22); mais pour les faire, il nous faut des sujets nombreux, savants, et habiles sous tous les rapports.

En Europe ayant tant de maisons (23), la plupart desquelles n'étant qu'italiennes et allemandes, il réussira bien difficile à mon R.P. Vicaire Général de trouver des sujets français que vous désirez. De la Belgique il ne peut en retirer un seul, sans renverser l'ordre des Missions dans toute la Province, et sans révolter le clergé et le peuple contre nous. Tout de même, pour faire tout mon possible, je me suis adressé au même R. Père, en espérant, qu'il puisse choisir quelqu'un parmi les Allemands, soit à Modène (24), soit en Autriche, qui parle français. Votre Grandeur n'a dorénavant qu'à en agir avec le même, car je lui ai déjà communiqué et mes intentions et le pouvoir pour s'y conformer.

Eodem die 1 sept. Pater Generalis scripsit Vicario generali, quomodo sese gerere deberet in hac re, vetans ne Patres pro Oregon elegeret ex Prov. Belgica et Helvetica (25):

1 Septemb. 1846

Al Padre Passerat

Plurimum Rev.de Pater, in Christo Frater charissime,

Non dubito quin tibi a Patre Rectore Stark (26) communicata fuerit infirmitas mea, qua D.O.M. die 29 Julii visitare me dignatus est, ideo gratias

15 XI 1958 humanissime communicatam); *Defuncti in Collegiis Neerlandiae ante erectionem Vice-Provinciae Hollandico-Anglicae* [28 VII 1854, cfr. *Spic. hist.* 3, 1955, 374 n. 6] 4-8 (AG Pr. H VIII 2); *Chronica Provinciae et Collegiorum* [Prov. Belgicae] II 129, 196, 199, 271 (Ms in AG Bibliotheca 9, 1).

(20) Libro delle Consulte generali del Rettore Maggiore, 1783-1859. - Orig.: Arch. Prov. Neapolitanae-Pagani; pellicula imaginifera in AG.

(21) Ripoli ad Blanchet, Pagani 1 IX 1846. - Minuta: AG XLI B 11.

(22) Notatu dignum, RM Ripoli hic includisse in fine principali nostri Instituti, qui est Missiones, etiam Missiones exteras apud infedele, pro quibus Blanchet sodales nostros expetivit.

(23) Cfr index domorum pro an. 1845 apud J. VAN RIJCKEVORSEL, *Catalogorum CSSR collectio in Collegiis Transalpinis, 1820-1848* II, Roermond 1884, 94-121^{bis}.

(24) Modena, Finale et Montecchio in Ducatu de Modena. - Cfr *Spicilegium hist.* 4 (1956) 82-84.

(25) Ripoli ad Passerat, Pagani 1 IX 1846. - Minuta: AG XII B 24.

(26) STARK Martinus; cfr *Spicilegium hist.* 2 (1954) 273 n. 157.

tibi ago pro suffragio precum vestrarum quibus auxilium ex alto implorare pergitis mihi (27). Vado quidem melius in dies, sed vix sensibiliter, dum motus brachii et pedis sinistri non nisi lentissime appareat (28). Sum tamen animo hilari, sic voluntatem Dei faciens, qua nihil perfectius excogitari possit.

Respondeo nunc ad litteras Tuas de die 7 hujus [= *antecedentis mensis*], quibus de Missione Oregonensi mihi loqueris, omnes circumstantias, ad hunc pertinentes scopum, clara expositione manifestans. Hac super re accepi epistolam etiam ipsius Episcopi Oregonensis, cui respondeo, me tibi mentem desuper jam apertuisse meam, ita, ut ea ductrice, valeas definitive negotium istud absolvere, Eumque ad Te remitto.

Si agitur de Missionibus tantummodo inter vulgo Silvestres (Sauvages) faciendis, ut dicit Episcopus, libenter consentio; abstineas tamen ab erigenda fundatione inter eos (29). Deinde si vis eligere 5 vel 6 Sacerdotes, hos tibi permitto eligendos ex sola Provincia Austriaca, quin tangas vel unum Individuum coeterarum duarum Provinciarum. Nosti enim eorum penuriam. [...]

Dum inter Vicarium generalem et Rectorem Maiorem de executione petitionis Exc.mi Blanchet agitur, Episcopus ex Wien abiit et P. Passerat operam dedit aptos Missionarios inveniendi, uti die 16 IX P.i Ripoli nuntiavit (30):

Dimidio mense Augusto profectus est Vienna Archiepiscopus (31) Oregonensis, nec mihi, ut promiserat, scripsit hucusque. Ad summum mittere possem 3 Missionarios, plures enim non habeo, qui linguam calleant gallicam, quorum <unus> erit, quem P. Provincialis (32) mihi jam diu pro Texas libenter promiserat.

Quia petitio sua aliunde melius successerat (33), Blanchet non amplius instantias fecit apud Vicarium generalem vel Rectorem Maiorem. In epistula diei 29 X 1846 VG Passerat communicavit RM Ripoli se nihil ultra ab episcopo audivisse (34):

Archiepiscopus Oregonensis mihi non scripsit ante reditum in Americam (35), ut statuerat, ad arcessendos aliquot ex nostris, ut eos secum sumeret. Hoc factum esse existimo quod ex Propaganda Lugdunensi pecuniam petitam non obtinuerit. Nil ergo hucusque de ista erit Missione nec de Texan-si, ni forsan per terram ex aliis Americanis Statibus illuc perveniant.

(27) Die 20 VIII 1846 P. Sabelli, secretarius Rectoris Maioris, infirmitatem illius P.i Stark nuntiavit (epistula in AG desideratur). Die 5 X [in orig. erronee 5/8] P. Stark ad P.em Sabelli scripsit de precibus pro infirmo RM factis.

(28) « An. 1846 vera apoplexia correptus est ». *Analecta* 18 (1939) 103. - De RM Ripoli cfr *Spicilegium hist.* 2 (1954) 269 n. 142.

(29) Haec condicio, quae admirationem movere potest, explicatur ex eo quod RM prius fundationes iam existentes consolidatas voluit, uti saepius in epistulis suis indicavit.

(30) Passerat ad Ripoli, Wien 16 IX 1846. - Orig.: AG Epistulae P.is Passerat.

(31) Eodem tempore quo Vicariatus de Oregon constitutus est in Provinciam ecclesiasticam, 24 VII 1846, Blanchet nominatus est Archiepiscopus de Oregon City. - Cfr supra nota 9.

(32) Superior Provinciae Austriacae tunc erat P. Leopoldus Michalek, cfr *Spicilegium hist.* 2 (1954) 262 n. 114. - Ex initio epistulae P.is Passerat diei 16 IX patet eum litteras P.is Ripoli diei 1 IX iam accepisse.

(33) « He gathered together six secular priests, four Jesuit priests, three lay brothers, and seven sisters of Notre Dame ». - *Cath. Enc.* II 593^b.

(34) Passerat ad Ripoli, Wien 29 X 1846. - Orig.: AG Epistulae P.is Passerat.

(35) Blanchet tantum reditum inceptit ex Brest die 22 II 1847. - *Cath. Enc.* II 593^b.